



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Utrùm dare vel accipere aliquid temporale pro ingressu, sive
admissione in religionem sit simonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Et oribus pecuniam, ne indignum Prælatum eligant. Quod si pretium temporale detur, propter omissionem spiritualis jurisdictionis hinc & nunc necessarium ponenda, dependenter à potestate Ecclesiastica, ad omittendam v. g. absolutionem, post auditam alterius confessionem, simonia est, juxta *cit. c. Nemo 14 h. t.* quia moraliter loquendo talis non tam omittit actum absolutionis, quam ligatum retinet, & reprobatur declaratur, qui sunt actus jurisdictionis, juxta *reg. Juris 121. in ff.* ubi dicitur, *qui non facit quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit &c.* Si tamen pro omissione actus spiritualis, non tamen jurisdictionis spiritualis detur, aut accipitur aliquid, quamvis ex officio ad illud faciendum teneretur aliquis, ita tamen, ut omisso talis nullum effectum spiritualem moraliter post se relinquat, ut cum datur sacerdoti pecunia ad omittendas horas Canonicas, ad non audiendas confessiones &c. non est simonia, cum omisso talis non sit factum aliquid, vel spirituale.

§. III.

Utrum dare vel accipere aliquid temporale pro ingressu, sive admissione in religionem sit simonia:

Datum jam supra juxta *c. Non satis 8. h. t.* simoniam esse dare vel accipere aliquid, ut pretium, pro ingressu sive admissione ad religionem, interveniente pacto aliquo, cum ingressus hic, tam ratione principij admittentis ad religionem, quam ratione finis, quia ordinatur ad salutem animæ, sic spiritualis, admittere tamen aliquid, vel etiam exigere

Compend. Pirhing.

temporale aliquid à persona ingrediente, ratione sustentationis, nec illicitum, nec Simoniacum est, si monasterium v. g. inopiam patiat, & regula ordinis hoc non prohibeat; & quamvis putent aliqui, si monasterium v. g. dives sit, sine simonia (saltem juris Ecclesiastici) vitio nihil, etiam ratione sustentationis, peccari posse *c. Veniens 19. & c. Dilectus 30 h. t.* putant tamen alij, consuetudinem contrariam non reprobendam, ut simoniacam, cum sit consuetudo pia, & utilis ad plures in obsequio religionis alendos, prout etiam colligi potest ex *Extravag. sane 1. h. t. inter communes.* ubi tantum abusus aliqui, qui sæpius in admissione tali interveniunt, in prandijs, seu cænis instruendis, pecunijs distribuendis &c. reprobantur.

§. IV.

De alijs modis, quibus committitur Simonia in ingressu religionis, ejusque penis.

Videantur de his *c. Veniens 19. c. De Regularibus 25 c. Dilectus 30. c. Quoniam 40 h. t. & Extravag. sane 1. eodem inter Communes.* ubi plura de penis simoniae taliter commissæ in admissione, & receptione ad religionem statuuntur, quorum usus quia rarus est, explicata hæc capitula videri possunt apud Auct. Metho. hoc §.

SECTIO IV.

De simonia, quæ committitur in beneficiis ecclesiasticis, & circa officia Ecclesia temporalia.

Zzz z

§. Utrum